

in consilio dando! quam nihil tamen, quod tibi ipsi placeat, explicas! (vgl. ferner Verr. II 1, 88. Caec. 62. fin. I 57. V 80. Tusc. IV 74. V 73; tam nihil Marc. 22). Petron. 34, 10 quam totus homuncio nil est! Vgl. weiter quam nullus Cic. Cael. 64. sen. 35. Tac. dial. 30. Plin. nat. hist. XI 2 in his tam parvis atque tam nullis (sc. corporibus). Hor. carm. II 13, 21 f. quam paene furvae regna Proserpinae et iudicantem vidimus Aecum. Marx hatte seine Konjektur nicht in den Text gesetzt, sondern wie Keller das verstümmelte redeo: nemo belassen, und jener von Postgate zitierte Gelehrte hatte nicht einmal sein Inkognito gelüftet sehen wollen; so wird wohl niemand leichtlich zu behaupten geneigt sein, „den Schlüssel zu besitzen, der wirklich schließt“ (Röhl XXX 1904, 58), aber eine gewissenhafte Prüfung der Bedingungen dieses schwierigen Verses an seinem Platze innerhalb des Zusammenhanges der ganzen Satire unter möglichster Anknüpfung an die fruchtbare Arbeit vieler Generationen von Forschern schien mir nicht unangebracht, zumal da Horaz an so manches rührt, was der alte Briest als ein „weites Feld“ bezeichnet haben würde.  $\text{Χρῆ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φαῖ}$  (Pind. Nem. 1, 25).

Bonn

Hans Herter

## EMENDATIONES CATVLLIANAE

## VI 12.

*Nam inista pualet nich' tacere O**Nam niista preualet nichil tacere G*

*ni ista*, praeter G, habent Romanus, Marcianus, Colbertinus, Santenianus 36, Laurentianus XXXIII 12, *in ista* ut Bononiensis, sic ceteri codices, ut uidetur. Indices igitur erroris duo sunt: prior isque grauior in *preualet*, quod contra metrum est, alter in *inista/niista* aut potius in illis quattuor hastis, quas alii *ini* alii *nii* librarii ueteres interpretati sunt. At *ini(nii)sta*, leuissima emendatione adhibita, Lachmannus legit

*ni</>ista*, quod et cum metro et cum uersus sententiaeque structura conuenit. Restat *prenalet*, cuius historia sic diuinari potest, si *puDET* olim fuisse arbitramur; initium erroris in *d* pono, ex quo factum puto *al*, *pualet* autem perperam in *prenalet* correctum, lineola supra *p* addita.

Sententia carminis haec omnino uidetur: „Delicias tuas non taceres, nisi essent inelegantes: uerum hoc pudet fateri, te febriculosum scortum diligere. Nam delicias arguit cubile, puluinus, lectus; enimuero te nihil istorum pudet, nihil pudet res istiusmodi tacere. Cur? inquis. Quia si deliciarum puderet, non ostenderes earum indicia, maciem, pallorem, nec (u. 14 *Nec* omnes codices recte, *Ni* uel *Nei* Guarimus, editores) ineptias faceres, quas facis, ut adulescens amator. Non igitur deliciarum pudet, sed, ut dixi, hoc te fateri pudet, diabolarem meretriculam in deliciis tibi esse. Si fateris omnino, etiamsi taces, delicias, eas fateri potes, etiamsi inelegantes sunt; omnia bona mala, elegantis inelegantis delicias, dic mihi, quae ad caelum lepido carmine feram.“

## LXVI 2. 93.

De *Berenices coma* multa disserui in commentariolo ad Aur. Ios. Amatucci (*Aevum* 18, 1944, 25—35), nonnulla tunc omisi belli difficultatibus coactus. Haec tamen alias exponam, nunc ex iis quae tunc dixi doctosque fortasse effugerunt, duo locos excerpere placet, quos cum Graecum exemplar mutilum nec sanare nec confirmare possit, solita artis ratione uel confirmandos uel sanandos esse arbitror. Versu 2 *stellarum ortus atque habitus*, quod omnes codices habent, omnis offendit editores in hoc, quod omnium scriptorum consuetudo *ortum* et *orbitum* coniungit. Verum sunt qui, praeter *ortum* et *orbitum* (*ἀνατολήν* et *δύσιν*), *motum* (*κίνησιν*) memorent: Cic. *de orat.* 1, 187; *diu.* 1, 128. Ammianus autem 20, 3, 11 *habitum* uocat quandam lunae *φάσιν* siue formam. Fieri potest ut Callimachus stellarum *ἀνατολᾶς* et *κύκλους*, Catullus *ortus* atque *habitus* Cononi compertos dixerit.

Extremum elegiae distichon sane quam torsit editores, editores id contra torserunt. Certe codices ad unum ita tradunt:

*Sidera cur iterent utinam (utina, ut?) coma regia fiam*  
*Proximus idrochoi (hy-) fulgeret oarion.*

Quod si Graece uerteris, et intellexeris fortasse nec mutare cupias:

Γει[τονες ἔστ]ωσ[αν — τί γὰρ ἄστρα διπλῶσιν; ἰολήν]  
 \*Αλ[λοσε δ'—] Ἰδροχ[ός] καὶ [μέγας Ὀαρίων.]

Etenim cirrus ita mihi quidem concludere uidetur: „Honore deorum affectus, hic ad brachium Virginis, prope caudam Leonis, in uicinia Maioris Vrsae, ante Aurigam collocatus, quid agam, qui uiuam? nam reginae meae desiderio nouum sidus angor, nec soluar unquam. Quod non dolerem, si me Zephyritis ex sua aede in caelum non iussisset efferri: quasi paruus astrorum numerus esset! Dis istis nouellis haecine facere liceat? quid stellas nouent? cur sidera iterent? num mihi in terris degenti male fuit, qui in fulgore flauī capitis, unguentis ebrius uixerim? Caelestis nunc sum cirrus: utinam regius fiam, regiae comae, unde Berenice me abstulit, reddar! Quid mea interest ut caelestia mutantur? per me licet stellae quiduis agant, quouis eant, uel diiunctissimae coeant, Aquarius Leoni proximus fulgeat.“

#### LXVII 12.

„Nulla“ ita ianua uiatorem alloquitur „culpa mea est, nec a me peccatum est quicquam; uerum isti populo, quae est eius leuitas ac petulantia, ianua facit quae dominus facit, atque adeo, si quid male factum aliqua ratione reperitur, ad me omnes clamant: Ianua, culpa tua est“. Haec si ianuam Catullus dicentem induxit, ita scripsit:

*Verum isti populo ianua, quae ipse, facit.*

Quae duobus gradibus ad traditam codicum lectionem peruenerunt. Nam *isti populo* consimilem exitum sumpsit, ut fieret *isti populi*, tum doctiori librario *isti* ante illum nothum genetiium male oluit, *istius* factum est; in altera pentametri parte *quae ipse* scriptum est *q:i:pe*, hic autem *quipe*, deinde *quite* ab aliquo, qui *pe* non intellexisset, uulgatissimum obiectum uerbo tribuere uellet.

#### LXVIII 99.

Omnium, nisi fallor, interpretum consensio mihi imponeret, si ueritas ex omnium consensione constaret. Quod cum saepe contra sit, ablatiui mihi quidem illi non sunt *Troia obscena Troia*, nec *infelice* ad *Troia* refero. Sed, ut decumani fluctus

grauissimum esse sonitum aiebant, ita dirum urbis uocabulum primum uersu 88 leniter enuntiatur, quasi in eo nihil sit nisi antiquissimi belli memoria, iterum tertiumque in insequenti disticho commoto ore grandibus uerbis, quartum ac quintum, post defletum maestissime fratrem, uno uersu, quodam doloris furore uocem in ululatum atque clamorem concitante: *sed Troia, obscena Troia*; atque in A alterius *Troia* uox ita ad producendam *-na* syllabam nititur, ut in IV 9 *Propontida trucemue*. Quod si nominatiuos sustuleris, ablatiuos reposueris, et climacem deleueris et orationem eneruaueris et totam distichi structuram dirueris. Quid est enim illud „terra aliena detinet sepultum Troiae in obscena infelici urbe, extremo solo“? quo in ordine uerborum cum tenue *terra aliena* subiectum enuntiati uidetur, tum casus ablatiui uis inter locatiuam atque instrumentalem positionem incerta fluctuat. Ergo non dubito *Troia, obscena Troia, terra aliena*, latius subiectum enuntiato dare, *infelice* et *extremo* duo epitheta instrumentali casui, *solo*, tribuere, instrumentali autem et *sepultum* et *detinet* definire.

## LXVIII 157—158.

Quod ulcus medici sescenti desperans iudicarunt, id uno digito admoto sanare uelle, ridiculum est. Sanare igitur nolo, sed ludere. Si ad cicatricem uenerit, Apollini gratulabimur.

Quid est in illo uexatissimo uersu 157, quod peccet, claudicet, errorem indicet? Nihil. Quid in insequenti? Diaeresis in medio pentametro, quam alii quidem habent Catulli pentametri, omnes suspiciosi: LXVII 44, LXXVI 10, XCVII 2, XCIX 8. Nihil in priore uersu mutabimus, uoculam quandam in alterum intrudemus. Dictum factum:

*Et qui principio nobis terram dedit (aufert),  
(Nunc) a quo sunt primo omnia nata bona.*

Cf. LXVIII 10. 55. 82. 90, LXXI 5, LXXIII 6, LXXV 4, LXXVII 4, LXXXVIII 6, XC 4, XCI 10, XCV 2, XCIX 12, CI 4, CIV 4.

Bononiae

Ioannes Baptista Pighi